vectores, et molestos præcipue itineris comites, quod Lapidi Lydio inscribi posset, quem Patriæ polliceris. De loco puerperii nunc jam constat, de foetu quem his involvo, tute videris, qui nimirum hoc intristi et exedas oportet. quidquid sit, item hoc tibi dicito, quod Cæsar Pompeio debellato, magna meum Civium Romanorum fugiente vel cæsâ. Hoc voluerunt. voluisti hoc certè vir amicissime, neque te sic volente mihi fas nolle fuit. Vale Hagæ Com. IV. Kal. Non. CIƆIƆCIV.

Vitaulii exemplar, quod unum superesse ajunt, unà mitto. Hoc de Poematio quid sentias, siquidem tanti erit, à te expectabo, saltem quo te legisse constet.

(1445

J. Golio. Ex quo a nobis abes, vir Doctissime et amicissime, obtulit se mihi, de quo disserebam, Excellentissimus Galliæ Legatus, huic ego te, et omnem amicitiam tuam, eodem jure quo tantundem tibi de me licere puto te non ambigere. Manus meum vir humanissimus magni fecit, atque hoc ut intelligas, effecturum serio se recepit si quando me excurrens compellare illum memineris idem facere paratus, quoties Musas Leidenses salutatum ibit. si convenitis, certus sum utrimque proxenetæ officia grata judicatum iri, et benè collocata. Gravesandium, Urbis vestræ Architectum, turpi de causâ loco remotum et abdicatum esse, non libens accepi. Usus est me amico inde à multis annis, charus mihi ob ingenii solertiam, ut in homine plebeio non vulgarem. Nunc si solidè sapiat Magistratus vester, oculos et utramque manum conjiciet in Petrum Postium, ejusdem professionis Artificem longè præstantissimum, et cui nullum ego in omni Belgio conferendum censeo, Virum denique commodissimum et amabilis consortii. Si decus et ~~or~~ ornatum Urbis amatis, moneo vos et auctor sum, ne hanc occasionem negligi patiamini, non temerè aliàs offerendam.

Meâ

Meâ quidem nihil interesse nosti, nisi quod Lugdunum inde a tirocinio studiorum meorum veneror usque ac diligo: quâ in re cum omnes bonos mecum consentire ~~videam~~ statuam, atque inter omnes, omnium instar, utrumque Zuerelichomium, horum operâ ni fallor, rem honestam utilem et jucundam facilè promovebis. De Paetsio non est quod dubites, in eâdem sententiâ sumus. superandi sunt viliores, et erigendæ cogitationes eorum, qui hoc genere artificum, sumtu non necessario gravari urbes autumant, cum si bene calculum ponant, comperturi sint, longè majorem perniciem pestem, et sumini ~~absumedinem~~ abemlarido imminere ab ignaro, quam ab intelligenti coquo; utique multum referre, ritène atque ordine opus publicum administretur, an ineptiis ærarium exhaurias: cum non paupertas modo, quod solet, sed ridiculos homines nunc faciant et opes, ut olim me lusisse memini, in hujus farinæ argumento. Vos videritis, ego me defunctum testor officio boni quondam Civis, nunc vicini. Te valere jubeo, Vir eximie et me amare. Hagæ Com: IV Cal: Febr: CIↃIↃCLV

Plenè tuus.

A: Colvio. Amplissime et reverende Vir.

(446)

Grandes tibi gratias, et Calthinio duo filii agunt et parens unus, quos omnes eâdem humanitate devinxistis, relaturos proinde gratias grandiores, et quidem vitreas quando sic jubetis, atque ut verè generosi sitis fragilissimas lentes mercari sustinetis nobiliore metallo. Microscopiis primum ex officinâ nostra docebimini quanti opifices simus. de macroscopiis, nihil hactenus tam certi pollicemur, quam olim, Deo volente, præstituri sumus. Sesquipedecim tripedalia, et quod excurrit parvo negotio expediuntur, hanc longitudinem si duplices, triplices, imò et quadruplices, quod jam nunc mei feliciter præstitere, difficile opificium est, quippe quod levissimo atque imperceptibili manus

lapsu